3826 Pravo.

Erectio et fundatio Crossensis anno 1720.



ERECTIO ET FUNDATIO CROSSENSIS

Anno 1720. 8 Septembr.

IN NOMINE SS. TRINITATIS PATRIS & FILII & SPIRITUS S. Amen.

THEODORUS POTOCKI, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS VARMIENSIS ET SAMBIENSIS, SACRI ROMANI IMPERII PRINCEPS, TERRARUM PRUSSIÆ PRÆSES.



AD perpetuam futuram rei memoriam. Universis & singulis hasce literas Nostras visuris, lecturis, legiq; audituris, aut quibus in præsenti vel futuro tempore quomodolibet interest, intererit, aut interesse poterit, Salutem in Domino sempiternam, & benè, laudabiliter & salubriter gesta, ne temporum lapsu obliterentur, vel evertantur, Scripturæ adminiculo, posteris sæculis traditione Sanctâ consignando, significamus: qualiter rei & Causæ, totiusq; Status circa Ecclesiam & Bona Crossen, eisq; adjuncta & connexa, diligenti Indagine documentaliter & fundamentaliter instituta, atq; quòd sic, prout sunt facta, gesta & ordinata, ad Majorem Divinum cultum, salutemq; animarum promovendam tendant, penitus perspiciendo, & pro comperto habendo, postquam Clerus Sæcularis Diœcesanus Varmiensis, seu ex eo aliqui cælitùs inspirati, eô nomine & fine Bona immobilia, Nobilia Juris Culmensis libera, Crossen, de Consensu seu Decreto, piæ Memoriæ Illustrissimi Prædecessoris Nostri ex manu Sæculorum indebitorum Possessorum, in rem Ecclesiæ loci, & suam, ad effectuandam intentionem piè defuncti Canonici Cathedralis olim Petri Floriani Kryger, tum piè defuncti Nobilis Friderici Josephi à Melitz, in eisdem Bonis Possessorum Hæreditariorum ibidem vindicassent, & Composito ex parte sua, notabili, ad ea redimenda, ære, comparassent, subsequenter quoque de Nostro pariter Consensu & placito etiam conjuncta & sub eodem Privilegio contenta, contigua Bona, Villæ Thaalbach dictæ, similis Juris Culmensis libera, jam integra & plena emptionis titulô in Pos-

 sessio-



ſeſſionem recepiſſent, prout ad præſens in Graniciebus & limitibus ſuis, abſque cujuſquam contradictione pacifice poſſidentur & obtinentur; & quidem Bona Croſſen intra Granicies ſuas favore Eccleſiæ & Cleri Sæcularis Diœceſani prædicti, per Nos & omnes ordines ac Status hujus Diœceſis ab omnibus oneribus Sæcularibus etiam publicis libera & immunia pronunciata fuiſſent, ac ſubinde in loco veteris ligneæ quercinæ Capellæ in Anno 1599 quondam à Poſſeſſore Nobili Jacobo Bartſch ad recipiendum concurſum devoti ſub protectionem Auguſtiſſimæ Virginis DEIPARÆ in authographa ex antiquis temporibus (prout Erectio Anno 1600, aliis veterioribus ſcriptis tempore incurſionis novæ Sectæ Lutheranæ per ejuſdem Sectatorem & Poſſeſſorem loci Croſſen obliteratis, ſonat) Miraculis clarâ; ſuppliciter confugientis Populi extructæ, jam amplior nova murata Eccleſia eidem longè frequentiori populo recipiendo conſtructa, aliaque ædificia pro Clero accommodando conſtruenda, ac piæ Fundationes ibidem inſtituendæ diſponerentur. Nos cupientes ejuſmodi opus pium ſeu opera, quantum ex Nobis opportunis auxiliis, ſubſidiisq; ac Authoritate Noſtra Ordinaria, ſuffulcire, præmiſſis literis Citationis ſeu edicti publici, & ex eis in termino die 20 Martij Anno 1715 Decreto Iudiciali interpoſito, tum paulò poſt, die 18 Novembris ejuſdem Anni primo lapide Angulari per Noſmetipſos poſito, literisq; pro auxiliatrice Manu ad fabricam, typo editis, præhabito quoq; & frequentiùs repetito cum venerabili Capitulo Noſtro Cathedrali conſilio, tandem hodie pluribus de eodem gremio præſentibus infra nominatis, auxiliante Domino eandem Eccleſiam pleniſſimè tam quò ad interiorem fornicem ſuperiorem, & muros calce incruſtatos, & decenter dealbatos, quàm deforis, unà cum turribus collateralibus, lamina cuprea tectis, in ſtructura ſua completam, ſub titulo Viſitationis, Auguſtiſſimæ Virginis DEiparentis MARIÆ ac Sancti Ioſephi Sponſi ipſius Virginalis, Inſimul cum Altari Majori, & cæmeterio conſecravimus & dedicavimus, die Anniverſaria Dedicationis ad proximè ſubſequentem generalem totius Diœceſis Eccleſiarum dedicationem, Dominica poſt feſtum Sancti Michaëlis proxima relatô & deſignatô. Cujus Eccleſiæ regimen, ex intentione Noſtra, & omnium, bona ſua eidem conferentium, ac votis populi, (cum Diœceſis hæc parva alioquin religioſis locis abundet) nemo alius ullo unquàm tempore conſequi & obtinere debet, ſub interminatione Divini Iudicii, quàm unicè Clerus Sæcularis de Indigenis hujus Diœceſis, ſub nomine aggregationis Sacerdotum; qui animo ibidem perſeverandi ad vitæ tempora, de eoq; pro ſalute ſua & pro poſſe ſuo, ſponte & liberè, etiam animabus Chriſti fidelium eundem locum viſitantium, inſerviendi, ſua bona illuc conferant, & poſt obitum ſuum ejdem loco relinquant, ſobriam, piam pacificam, juſtam & exemplarem vitam ducendo, ſub directione Domini Archipresbyteri loci pro tempore exiſtentis, qui quoniam Clericus Clericum non decimat, titulo oblatorum & ſubſidii Spiritualis in confeſſionibus Pœnitentium audiendis contentus erit annuatim penſione centum marcarum & honore ac libertate, quòd ſe eidem aggregationi incorporare valeat ac in caſum deceſſûs ſenioris Sacerdotis ſeu præpoſiti, eundem locum & titulum obtinere, ita ut aliàs, DD. Archipresbyteri in res œconomicas ejuſdem Cleri & Loci ſe prorſus non immiſceant, nec eas conturbent. Penes quem Sacerdotem ſeniorem facultas erit veteranos Parochos Diœceſanos tam Epiſcopalis, quàm Capitularis Ditionis, qui ſe ſe ad beatè terminandam vitam hicce voluerint aggregare, vel alios bonos operarios de Clero Sæculari recipiendi in vineam Domini; menſâ poterunt ad placitum, vel communi uti, vel ſi quis valetudinarius, in cubiculo ſuo refici. In quantum proventus prædiales menſæ & ſuſtentationi hujuſmodi, frugali non ſuffecerint, vel quæ quis intulit ſubſidia, abſumpta fuerint, tunc ex oblationibus poterunt peti, quæ fuerint neceſſaria pro victu & amictu more religioſorum, arbitrio Senioris ſeu Præpoſiti, cujus in hoc conſcientia oneratur, ne quem exceſſum in hoc committat vel permittat; ſalvâ, quantum opportunum cenſuerit, hoſpitalitate frugali; ſuperfluæ oblationum pecuniæ vel ad decorem Eccleſiæ & con-

ſervá-

ſervationem expendentur, vel in cenſum reemptitium elocabuntur; Benedictiones quaſvis ex Rituali Romano ſive publicas ſive privatas ejuſdem Loci Clerus peragere poterit, uti & depoſitiones ac funera, exequias, Anniverſaria, triceſimas, perſonarum Sacerdotalium, Clericorum & Incolarum ejusdem loci, prout & Domeſticorum ac inſervientium peragere: Aliorum verò extraneorum, qui ibi ſepeliri affectarent, non niſi de licentia DD. Archipresbyteri Loci, & ſalvâ ipſi quartâ funerali. Qui idem Archipresbyter ibidem etiam alia Sacramenta Baptiſmi & Matrimonii pro caſu incidenti per ſe vel delegatum Sacerdotem, ſervato ritu Eccleſiæ, vel Sancti Concilii Tridentini præſcripto, adminiſtrare valebit. Oleum infirmorum ad uſum Sacerdotii & Incolarum loci in Eccleſia, competenti loco conſervabitur. Accidentia funeralia, offertoria, & cerei, ac quæcunq; alia tali occaſione, adhibita, Eccleſiæ cedant loci. Talis Inſtituti ſupra expreſſi Sacerdotes ſæculares ad præſens ſunt hi inſcripti, & reſidentes, Primus Gaſpar Simonis ex Archipresbyter Vormd. cui ad ſubſidium fabricæ contulimus nuper vicinum Canonicatum Gutſtadienſem cum Reſidentia, utpote qui utriusq; Loci obſequio probè & utiliter ſatisfacere valeat; Secundus Paulus Adalbertus Knobloch ex Parochus Megenenſis. Tertiꝰ Andreas Peltz Annoſus Sacerdos, Capellanus loci. Quartus Michaël Matthæꝰ Lamprecht Sacerdos noviter in proviſionem hujus Eccleſiæ ordinatus; nam pro pluribus adhuc deſunt manſiones. Fundationes ſeu obligationes miſſales extant hæ: Prima ex erectione anni 1600 Miſſæ duodecim per annum, ſeu quovis menſe una: Secunda ex Fundatione R. Pauli Knobloch prædicti, una miſſa hebdomadatim votiva vel de S. Ioſepho Nutritio Domini, vel Commemorationis Beatæ Virginis de Monte Carmeli pro Confraternitate S. Scapularis. Tertia Friderici Ioſephi Melitz, duæ Miſſæ hebdomadatim unius de Beata Virgine, alterius de Requiem pro Familia Melitiana. Quarta ejuſdem Melitz poſt fata ipſius Agnatæ Virginis Iuſtinæ Attinska, quæ advitalicio Iure, decem Manſorum hic in Croſſen uſufructu potitur, ſeu penſione condictâ, 300 florenorum. Quinta Guldenſterniana trium Miſſarum hebdomadatim, quæ vel in Croſſen etiam aliquæ, vel pro opportunitate in Eccleſia Vormditenſi abſolvi poterunt. Privilegia & libertates tam Bonorum Croſſen cum Mola, quam Thalbach Iure Culmenſi libero confirmamus. Iuribus Menſæ Noſtræ Epiſcopalis ſalvis, videlicet aratralium nomine de quovis aratro unam menſuram ſiliginis & unam avenæ, id eſt, de Bonis Thalbach ſiliginis Modios ſeptem, Avenæ Modios ſeptem; De Bonis Croſſen ſiliginis Modios quatuor absq; una quarta & Avenæ totidem, atq; una libra Ceræ, velut duntaxat in tenore Privilegij notatur, tum de Mola Marcas duas, nam à ſervitijs militaribus, quæ à longiſſimo tempore hinc non fuerunt in uſu, intuitu continui obſequii Eccleſiæ, prorsùs liberamus. Scultetus à Poſſeſſore Bonorum Croſſen aſſertum Privilegium primæ locationis Villæ obtinens Eccleſiæ inſerviet, & omnimodè Clero Loci ſubjectus erit, præſtando, tam quæ in prima locatione Villæ præſcripta ſunt, quàm quæ aliarum villarum Ditionis Epiſcopalis ſculteti officio Caſtri præſtare ſolent & debent, aut per Æquivalentia. Et quoniam Bona Croſſen penuriâ lignorum laborant, atq; cùm plurium Sacerdotum acceſſu, ad focum & fornaces proviſio lignorum ſit neceſſaria, concedimus, quatenus ex Sylvis Noſtris Epiſcopalibus tam vicinioribus, quàm remotioribus, arida vel jacentia ligna, ac truncos & ſtipites, nullatenus autem viridia & ædificiis apta, æſtate & hyeme ſecare, colligere, convehere & evehere valeant; cæteris in Privilegio contentis in ſuo robore manentibus. Et ſic nos præmiſſa Omnia & ſingula, præſentium per tenorem, Authoritate Noſta ratificamus, confirmamus, ſtabilimus, ac perpetuitatis robur adjicimus, & Erectionis titulo perenniter adſcribimus, Summas quoque Capitales cum cenſibus quaſvis etiam in futurum accreſcentes, nec non fundos & Bona ad eandem Eccleſiam immediatè ſpectantia, uti jam aliàs factum, immunitati atque libertati Eccleſiaſticæ inſcribimus & incorporamus omni meliori modo. Promittentes pro Nobis & Succeſſoribus Noſtris Eundum locum & Clerum ſub Protectionis

 Noſtræ

Nostræ brachio & tutamine æternæ retributionis intuitu, fovere & manu tenere; Actui Consecrationis & Erectionis Ecclesiæ Præsentes adfuerunt de Gremio Venerabilis Capituli Nostri Cathedralis Varmiensis, PP. DD. Bernardus Theodorus Liber Baro de Schenck Decanus, Michaël Remigius Łaszewski Custos, Franciscus Fridericus Janwicz Cantor, Matthias Sołtyk Decanus Culmensis Canonicus Varmiensis, atq; Georgius Fridericus Liber Baro de Königshek, Godefridus Henricus Liber Baro de Eilenburg, Remigius Czarlinski Canonici Varmienses, de Capitulo Ecclesiæ Gollegiatæ Guttstadiensis, Joannes Chrysostomus Rogalli Cancellario Noster, Joannes Adalbertus Heinigk, Caspar Simonis Canonici Guttstadienses, tum & Illustris Joannes Michaël Braun Archipresbyter Vormditensis, aliiq; Parochi Vicini, tam ex Meelsaccensi quàm Vormditensi Archipresbyteratibus, cum reliquo Clero assistente. In quorum fidem præsentes Manu Nostra subscriptas, Sigillo Nostro communiri jussimus. Datt. In Crossen Anno Domini Millesimo Septingentesimo Vigesimo, die Festo Nativitatis Beatissimæ Virginis MARIÆ, octavâ Septembris, quæ erat Dominica XVI. post Pentecosten.

THEODORUS EPISCOPUS
(L. S.)

JOANNES CHRYSOSTOMUS ROGALLI
VARSAVIENSIS ET GUTTSTADIENSIS CANONICUS, SUÆ ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS CANCELLARIUS, SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS SECRETARIUS. mpp.

